

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

19

1192/05/11. Santiago de Compostela.

Afonso Rodríguez, a súa muller e os seus fillos dóanlle ó mosteiro de Toxos Outos as vilas de Porto, Porto Tousindi e Porto Seilán, en S. Xián de Tarás.

B.- Tombo, f. 12rv.

CHRISTUS. Multipliciter multiplex misericordia Dei per plurimum uoluit honorari genus humanum dum cuique mortali largiri dignatur vt ex temporalibus rebus celestia regna mercari ualeat et ex transitorii semperu percipere dicente ipso Domino per angelicam uocem fiducia magna erit coram summo Domino Deo elemosina omnibus eam facientibus quod in euangelio quicumque dederit calicem aque frigide tantum in nomine meo non perdet mercedem suam; quocirca ego Affonsus Ruderici et uxor mea domna Maria Froille cum filiis et filiabus nostris qui nati sunt uel qui nati fuerint uel omnis uox nostra misericordiam Dei deuota mente considerantes modumque fragilitatis humane attendentes ac pauentes utrumque diem iudicii in nomine sanctum Saluatoris Dei et honore sancte Marie semper uirginis et sancti Justi atque omnium sanctorum, vobis domno Petro, Dei dignatione // monasterii Sancti Justi abbati, omnique conuentui monachorum eiusdem monasterii tam presencium quam futurorum qui ibi regularem ordinem sancti Benedicti obtinuerint pure corde et uno consilio, donamus uobis per testamentum firmiter factum imperpetuum ualitatum villam de Portu et portum Tousindi et portum Sailam cum omni uoce sua per ubicumque inuenire potueritis per suos terminos et diuisiones antiquas, scilicet per aquam de Linares et per uillam de Curu et per terminos ecclesie Santi Juliani de Taras et per fontem de Villardigu et finitur in fluuio Tamaris, que est in territorio Gentinis prope aulam Sancti Juliani de Taras subtus monte Pineyroo, discurrente fluuio Tamaris. Quam uillam uobis damus et concedimus quantum ibi habemus tam de patrimonio quam et de ganancia et etiam quantum in eadem villa acquirere potuerimus et totam uocem suam in omnibus villis et agris qui sunt sub signo Sancti Juliani damus uobis cum omnibus suis directuris, cum casis et casalibus, arboribus omnium generum, exitibus et regressibus, montibus et fontibus, pratis et pascuis, et cum quanto adprestituum hominis est; ita quod ex hodierno die et tempore de iure nostro sit remota uestroque iuri ac dominio sit tradita atque confirmata iure hereditario, ab hinc possideatis habeatis uos et successores uestri imperpetuum et nunquam detis illam in prestatum alicui. De qua villa ganauimus III^a nostro proprio precio de Manrrico Ruderici et tres quartas tenemus in pignore pro solidis Dts de Roderico Ruderici, et quomodo melius de ipsa subpignoratione facere potuerimus sit pro uobis vos autem faciatis uineam in ipsa hereditate.

Siquis tamen propincus uel extraneus siue aliqua intromissa persona hanc nostram donationem quam libera mente et propria uoluntate ob remedium animarum nostrarum facimus aliquam calumpniam inferre temptauerit nisi cito humiliatus ad uos proferens emendationem uenerit, in primis Dei omnipotentis et perpetue uirginis Marie atque omnium electorum Dei maledictionem recipiat et cum Datham et Abirom in inferno penas luat et pariat ipsam uillam duplatam aut triplata et insuper ipsi monasterio pro temerario ausu solidos tres mille exsoluat; et hoc testamentum semper sit firmum.

Facto hoc testamento die V^o idus maii in era M^a CC^a XXX^a.

Nos suprannominati Adefonsus Ruderici et uxor mea domna Maria Froyle in hoc testamento quod fieri iussimus manus nostras.

Q. p. f.: Signum domni Adefonsi Ruderici. Signum domne Marie Froyle. Pelagius Arie, miles, conf. Fernandus Didaci, miles, conf. Johannes Fernandi, miles, conf. Matheus Mathei, conf. Abbatinus de Vico Nouo, conf.

Suerius Pelagii, notuit.